

CONCOURS D'ADMISSION DE 2003

Option lettres et sciences humaines

LATIN première langue

Vendredi 9 mai 2003 de 14h à 18h

VERSION LATINE

Durée : 4 heures

Vains efforts de César pour négocier la paix avec Pompée (48 av. J.C.)

La guerre civile est engagée depuis plus d'un an

Inter bina castra Pompei atque Caesaris unum flumen tantum intererat Apsus, crebraque inter se conloquia milites habebant, neque ullum interim telum per pactiones loquentium traiciebatur. Mittit Caesar P. Vatinius legatum ad ripam ipsam fluminis, qui ea quae maxime ad pacem pertinere uiderentur ageret et crebro magna uoce pronuntiaret, liceretne ciuibus ad ciues de pace suos legatos mittere, quod etiam fugitiuis ab saltu Pyrenaeo praedonibusque licuisset(1), praesertim cum id agerent ne ciues cum ciuibus armis decertarent. Multa suppliciter locutus, ut de sua atque omnium salute debebat, silentioque ab utrisque militibus auditus. Responsum est ab altera parte Aulum Varronem profiteri se altera die ad conloquium uenturum atque una uisurum quem ad modum tuto legati uenire et quae uellent exponere possent ; certumque ei rei tempus constituitur. Quo cum esset postero die uentum, magna utrimque multitudo conuenit magnaque erat expectatio eius rei atque omnium animi intenti esse ad pacem uidebantur. Qua ex frequentia Titus Labienus (2) prodit, summissa oratione loqui de pace atque altercari cum Vatinio incipit. Quorum mediam orationem interrumpunt subito undique tela inmissa ; quae ille obtectus armis militum uitauit ; uulnerantur tamen complures, in his Cornelius Balbus, M. Plotius, L. Tiburtius, centuriones militesque nonnulli. Tum Labienus : «Desinite ergo de conpositione loqui : nam nobis nisi Caesaris capite relato pax esse nulla potest.»

CÉSAR.

1) allusion à un échec de pourparlers de paix en Espagne (déjà attribué par César aux Pompéiens).

2) *Titus Labienus* : ancien lieutenant de César, passé à Pompée au début de la guerre civile.

- Rappel : l'utilisation de toute calculatrice et de tout matériel électronique est interdite.
- Seul document autorisé : un dictionnaire latin-français BORNECQUE, GAFFIOT, GOELZER ou QUICHERAT.